

INCIPIIT HABACUC PROPHETA

¹ Onus quod vidit Habacuc propheta.
² [Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, et non salvabis?
³ Quare ostendisti mihi iniquitatem et laborem, videre prædam et injustitiam contra me? Et factum est iudicium, et contradictio potentior.
⁴ Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem iudicium; quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur iudicium perversum. ⁵ Aspiciate in gentibus, et videte; admiramini, et obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. ⁶ Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram et velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. ⁷ Horribilis et terribilis est: ex semetipsa iudicium et onus ejus egredietur. ⁸ Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis: et diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longe venient; volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. ⁹ Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens; et congregabit quasi arenam captivitatem. ¹⁰ Et ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi ejus erunt; ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam. ¹¹ Tunc mutabitur spiritus, et pertransibit, et corruet: hæc est fortitudo ejus dei sui.] ¹² [Numquid non tu a principio, Domine, Deus meus, sancte

meus, et non moriemur? Domine, in iudicium posuisti eum, et fortem, ut corripere, fundasti eum. ¹³ Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris. Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiore se? ¹⁴ Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem. ¹⁵ Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur, et exsultabit. ¹⁶ Propterea immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus, et cibus ejus electus. ¹⁷ Propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non parcat.]

2

¹ [Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem: et contemplabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.] ² Et respondit mihi Dominus, et dixit: [Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. ³ Quia adhuc visus procul; et apparebit in finem, et non mentietur: si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit. ⁴ Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso; justus autem in fide sua vivet. ⁵ Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur: qui dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse quasi mors, et non adimpletur: et congregabit ad se omnes gentes, et coacervabit ad se omnes populos. ⁶ Numquid non omnes isti super eum parabolam sument,

et loquelam ænigmatum ejus, et dicetur: Væ ei qui multiplicat non sua? usquequo et aggravat contra se densum lutum? ⁷ Numquid non repente consurgent qui mordeant te, et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? ⁸ Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, et iniquitatem terræ, civitatis, et omnium habitantium in ea. ⁹ Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, et liberari se putat de manu mali ! ¹⁰ Cogitasti confusionem domui tuæ; concidisti populos multos, et peccavit anima tua. ¹¹ Quia lapis de pariete clamabit, et lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit. ¹² Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate ! ¹³ Numquid non hæc sunt a Domino exercituum? laborabunt enim populi in multo igne, et gentes in vacuum, et deficient. ¹⁴ Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare. ¹⁵ Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem ejus ! ¹⁶ Repletus es ignominia pro gloria; bibe tu quoque, et consopire. Circumdabit te calix dexteræ Domini, et vomitus ignominiaë super gloriam tuam. ¹⁷ Quia iniquitas Libani operiet te, et vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, et iniquitate terræ, et civitatis, et omnium habitantium in ea. ¹⁸ Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, et imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra muta.

19 Væ qui dicit ligno: Expergiscere; Surge, lapidi tacenti ! Numquid ipse docere poterit? ecce iste coopertus est auro et argento, et omnis spiritus non est in visceribus ejus. 20 Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie ejus omnis terra !]

3

1 Oratio Habacuc prophetæ, pro ignorantiiis.
2 [Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud; in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. 3 Deus ab austro veniet, et Sanctus de monte Pharan: operuit cælos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. 4 Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus. 5 Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus. 6 Stetit, et mensus est terram; aspexit, et dissolvit gentes, et contriti sunt montes sæculi: incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. 7 Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ; turbabuntur pelles terræ Madian. 8 Numquid in fluminibus iratus es, Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio. 9 Suscitans suscitabis arcum tuum, jumenta tribubus quæ locutus es; fluvios scindes terræ. 10 Viderunt te, et doluerunt montes; gurges aquarum transiit: dedit abyssus vocem suam; altitudo manus suas levavit. 11 Sol et luna steterunt in habitaculo suo: in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. 12 In

fremitu conculcabis terram; in furore obstupefacies gentes. ¹³ Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum christo tuo: percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum ejus usque ad collum. ¹⁴ Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me: exsultatio eorum, sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito. ¹⁵ Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. ¹⁶ Audivi, et conturbatus est venter meus; a voce contremuerunt labia mea. Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat: ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum. ¹⁷ Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis; mentietur opus olivæ, et arva non afferent cibum: abscindetur de ovili pecus, et non erit armentum in præsepibus. ¹⁸ Ego autem in Domino gaudebo; et exsultabo in Deo Jesu meo. ¹⁹ Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum: et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.]

Bibbia Vulgata Clementina na 1598
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria
Migne edition 1880 in Latin

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 21 Feb 2024 from source files
dated 31 Aug 2023

7ca33455-379f-554d-a635-9009adbd90c5